



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Donatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

liter delegatus ad universitatem causarum, sed delegatus subdelegans non potest subdelegationem revocare, hoc intellige, quando sibi nihil retinuit. Holt. *in sum. tit. de offi. deleg. §. qua delegari possunt, nu. 6.*

Decimo quinto, delegatus, per decretam citationem in vita Pontificis, licet non exequatur, mortuo Pontifice perpetuat jurisdictionem. Caputa, *decis. 113.*

Decimosexto, an delegatus à Principe, si delinquat Ordinarius possit eum punire. Ca. Tolof. 9. 423. tenet quod sic per Cynum *in auth. Qua in provin. ubi de crim. agi oportet* : ut quando excederet formam mandati, vel procederet in casu, non concluso in sua commissione, vel vellet exequi, vel procedere, antequam ostendat suam commissionem, addit. *ibidem*, vel multa dicit pro practica quotidiana. Similiter Ordinarius potest resistere delegato Papæ, quando vellet procedere in casu non incluso in ejus rescripto notorie. Gem. *in c. si eo tempore, vers. nota istud dictum, de rescrip. lib. 6.* Similiter potest ordinarius providere quando delegatus gravat aliquem contra dispositionem *c. statutum, de resc. l. 6.* Gem. *ibi*, & Joan. And. *in ultimo*. Similiter Ordin. potest adiri pro executione gratiæ factæ à Papæ; idem *in c. si super, ver. item, de offi. deleg. li. 6.*

DIGNITAS.

PRImò, dignitas, quid sit, & quotuplex, vide *in ver. beneficium. §. 1. ver. 12.* ubi una tantum reperitur dignitas, non cadit sub dispositione, & re-

servatione regularum Cancell. Gom. *de expect. n. 45.* & quomodo cognoscantur dignitas, personatus, & officium: vide Anchar. *in c. de consuetud. numero 6. libro 6.* canonicus Ecclesiæ cathedralis de jure communi non dicitur in dignitate positus, ut patet per omnes, *in capitulo statutum, de rescript. libro 6.* tamen largè venit. Felin. *in ca. pastoralis, numero 12. de offi. deleg. Caputaqu. decis. 257. par. 1.*

Secundò, dignitas an sit Militia, Doctoratus, & Sacerdotium, de secundo & tertio est clarum, vide Jason. *in l. si quis in cognoscendo, nu. 2. §. 5. de pact.* ubi disputat per multa de dignitate Doctoratus, & Sacerdotio: habetur etiam *Eccles. cap. 45.* ubi habetur, *ut sit illi sacerdotij dignitas in aeternum*, de militibus & equitibus limita, prout ibi, sed hic sumitur dignitas largo modo & non prout *in cap. statutum, de rescript. libro 6. §. in cap. cum dignitates, sac. Conc. Trid. sess. 24. quod est cap. 12. de reform.*

DONATIO.

PRImò, Donatio omnium bonorum, præsentium, & futurorum, vel præsentium tantum futurae hereditatis, an valeat? vide Abb. *in cap. 2. numero 2. de concess. prabend. §. ibi addit.* Ant. Franc. *in litera E. Ang. Imol. Alex. & alios, in l. stipulatio, ff. de verb. obl. Dec. in cap. in presentia, num. 7. de probat. §. in cons. 488, Navar. de reg. com. l. c. 33. n. 26.*

Secundò, an donatio inter virum & uxorem

Z 2

uxorem possit fieri, vide Abb. *in rub. de donat. & annotat. ibi.*

Tertiò, quot modis revocetur donatio; vide *in cap. fin. hoc tit. & in ver. iuramenti absolutio. §. 2.*

Quartò, maritus donans uxori in compensationem nobilitatis, ætatis, vel huiusmodi, uxor potest sibi lucrari illud, etiam si moritur maritus post matrimonium ratum, vel paulò post consummatum, Afflic. *de c. 61. Sylvest. in ver. donatio. 2. §. 1. n. 2.*

Quintò, donatio inter vivos, seu simplex, licet regulariter prohibeatur inter virum & uxorem, tamen fallit in casibus, prout Sylvest. *loc. cit. §. 3. num. 4.*

EXCOMMUNICATIO.

Primo. Excommunicatus non est percuciens, vulnerans, mutilans, vel occidens Clericum inventum turpiter agentem cum quatuor speciebus personarum, scilicet cum uxore, matre, sorore, & filia. Gloss. *in ca. si quis suadente, in ver. violentus, 17. quæst. 4. cap. si verò, de sent. excom. il. 1.* & hoc non ex intervallo temporis, sed ex subita passione, Covar. *de spons. 2. par. tit. 7. §. 7. nu. 12. Sylvest. in vel excommunicatio, 6. cap. 10. Tabien. in eo. ver. 5. casus 1. §. 8. numero 31.* & an possit maritus, pater, filius, & frater, facere per aliam personam sive conjunctam, sive per pretium, sive per assassinum. Afflic. *in constitut. Pacis cultum, q. 15. nu. 40.* videtur declinare in partem affirmativam, & ego puto, quod neque incurratur excommunicatio, sicut licet patri, & conjunctivæ personæ verbera-

re filium per alium, quando ipsi per se non possunt. Tab. *ver. excommunicatio, 5.* & iudex ecclesiasticus potest torquere Clericum per alium, prout dixi *in ver. tortura, §. 1. & Syl. in ver. excom. 6. §. sciendum, num. 6. ver. undecimo.*

Secundo, quod dixi de vulnerato, &c. intellige, si incontinenti, vel sine deliberatione, & ut dixi sup. Navar. *cap. 27 num. 34.* quamvis Covar. *loc. cit.* nimium scrupulizet, dicens, textum illum non intelligi de occidente, & quid si occidat, non ex deliberatione: dicitur quod oportet saltem absolvi ab Episcopo, quia text. ille fundatur *in l. Gracchus, C. de adulteriis*, ubi habetur, quod difficile est, justum dolorem temperare, & *l. si adulterium. §. Imperatoris ff. de adulter. hoc tamen fallit, si occidat illum remisso dolore, vel se abscondendo in aliquo loco, ad hoc ut clericus ad suam uxorem accedat, & postea exiens, eum occidit, quia modò esset ex deliberatione, & incurreret pœnam à legibus statutam. Nav. *conf. 26. de sent. excom.**

Tertio, Ampliatur primo, hoc intelligi etiam de sponsa de præsentì, etiam ante copulam, Covar. *loc. cit. 1. p. c. 1. nu. 8. gloss. in dicto c. si verò, in ver. cum uxore, gloss. in c. descriptionem in ver. reatum, de eo qui cognov. uxor. &c.* hoc tamen limita, si matrimonium per verba de præsentì fuerit contractum, juxta formam sac. Con. Frid. *sess. 24. c. 1. de refor.* ampliatur, hoc intelligi de sorore, etiam illegitima, Astenf. *lib. 7. tit. 3. quæst. 9. vers. 11.*

Quarto, turpiter agere, non solum intelligitur de actu obsceno, vel dor-

mitio.